

Die 9 eiusdem illustrissimus ac reverendissimus dominus discedere volens cum [72r] suis a plebe praedicta Petralbae seu Cacciae (etc.), in itinere divertit ad ecclesiam Sancti Michaelis Arcangeli loci Novellae plebis Canalis seu Ostriconi, ubi reverenter fuit receptus a reverendo Luca Ioanne Orabona moderno parocho et vicario foraneo et a populo. Praemissis consuetis precibus, visitavit sanctissimum Sacramentum, quod bene asservatur, eoque populum benedixit.

Etiam baptisterium et sacra olea decenter asservantur. Altaria sunt quatuor. Maius beatae Virgini Mariae dicatum, per quam perhibent eius intercessione fideles a Deo plures obtinuisse gratias; secundum a cornu evangelii dicatum sancto Leonardo Abbati, tertium in eadem parte sanctissimo Rosario, quartum ex altera parte Animabus Purgatorii. Dicta altaria et ecclesia manuteneantur a populo; et profecto tam ecclesia quam altaria optime manuteneantur et ornate. Unde illustrissimus dominus summopere laudavit pietatem populi eumque ad prosequendum hortatus est, prout in decretis.

Instetit populus ut Dominatio Sua illustrissima erigeret societatem Sanctissimi Sacramenti, cui petitioni benigne annuit, ut ex decretis (etc.).

[72v] Cum plurimi non adimplevissent praeceptum Paschatis etiam a duobus et tribus annis, illustrissimus dominus oretenus indixit excommunicationem in eos qui in proximo Paschate etiam negligerint dictum praeceptum adimplere; tum benigne hortatus est populum ne eum ad hanc gravem ferendam poenam inducerent.

Annui redditus parochiales sunt librae 640. Altare privilegiatum altare maius.

Notandum est quod antiqua parochialis erat sub titulo Sancti Michaelis Arcangeli, et ad praesens etiam extat dicta ecclesia a loco praedicto distans; atque huic modo suffecerunt novam ecclesiam in loco constructam sub titulo sancae Crucis; sed tamen retinet titulum sancti Michaelis Arcangeli.

Familiae sunt 62. Sacerdotes 2. Animae 266.

[...]

Pro ecclesia parochiali Sancti Michaelis Arcangeli loci Novellae

Intra duos menses sub poena interdicti aptetur sepulchrum quod est a cornu epistolae altaris beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii.

Interdicto omnino subiaceat calix, et patena ex auricalco. Aptetur manipulus planetae violacei coloris, et planeta alba *di damasco*; planeta vero nigra omnino interdicto [77v] subiaceat et nova comparetur intra quatuor menses, sub poena librarum quinquaginta.

De caetero vero cum illustrissimus et reverendissimus dominus ecclesiam decenter retentam invenerit, populi pietatem laudando ad perseverandum etiam in posterum hortatus est.